

citatur, ac deinde dicto a Ministro *Deo gratias*, in medium Altaris manibus iunctis redit.

794. In Missa pro Defunctis, cum populus non benedicatur, absoluto *Placeat tibi* etc., osculato prius Altari, immediate sine circulo ad cornu Evangelii vadit Evangeliumque recitat.

795. Cum Evangelium ex Missali, quod medium Altaris aliquantulum respiciat, legitur, loco *Initium S. Evangelii* etc. dicitur: *Sequentia* (vel etiam *Initium*) *S. Evangelii* etc., et cum Sacerdos hoc dicit, sinistram Missali imponit et pollice dexteræ primo initium Evangelii, deinde seipsum, ut supra, Cruce signat. In fine textum Evangelii non osculatur, sed statim manu dextera librum claudit.

796. Celebrans reversus in medium Altaris, anteriorem partem veli super bursam reflectit, manu sinistra Calicem ad nodum accipit, dexteram bursae imponit, ac sine inclinatione se convertit a parte Epistolæ, et retrahens se paululum ad cornu Evangelii, descendit gradus Altaris ac in plano profundam facit Altari inclinationem, aut genuflexionem¹, si SS. Sacramentum ibi asservatur (vide n. 702); caput cooperit, eodem modo, quo ad Altare venerit, in Sacristiam redit, et viam faciens dicit Antiphonam *Trium puerorum* cum Cantico *Benedicite* et Psalmo *Laudate Dominum in Sanctis eius* etc.

797. Memorata Antiphona duplicatur in festis duplicibus, non vero in semiduplicibus aut quando fit de Feria. *Alleluia* adiungitur tempore paschali.

¹ S. Rit. C. 12 Nov. 1831.

798. Sacristiam ingressus capite cooperto, ante Crucem aut imaginem insignem (Vid. n. 694) se inclinat, Calicem in loco suo reponit, sacra vestimenta adiuvante Ministro deponit, incipiens a Planeta, deinde Stulam, Manipulum, deosculans Crucem parvulam in eorum parte externa, Cingulum, Albam, extrahens primo brachium sinistrum ex manica, cum quo Albam sublevat, super caput et humerum dexterum elevat, denique brachium dexterum e manica trahit. Priusquam Amictum Ministro tradat, Crucem in medio eius osculatur.

799. Demum manus lavat et abstergit¹, et in loco ad hoc destinato gratiarum actionem facit aut ex tabella, quae in hunc finem in omnibus Sacristiis habetur, aut ad suum arbitrium, dummodo devote, religiose et per congruens temporis spatium.

CAPUT II.

DE SPECIATIM SERVANDIS IN QUIBUSDAM MISSIS PRIVATIS.

§ I. — De Missis ferialibus in festo S. Marci, diebus Rogationum, Quatuor Temporum et Quadragesimae.

800. In festo S. Marci et diebus Rogationum Missa Stationis est de praecepto², etiam, si festum S. Marci transferatur, aut hoc festum occurrat in Dominicis, in Octava Paschatis et in quocumque festo³, aut unica tantum dicatur Missa in Ecclesia.

¹ Non per modum praecepti, sed convenientiae. S. Rit. C. 12 Aug. 1854.

² S. Rit. C. 12 Nov. 1831, ad 37.

³ S. Rit. C. 16 Apr. 1853.

801. Huius regulae generalis duae sunt exceptiones quoad Missam Stationis in festo S. Marci: primo, si hoc festum occurrat in Dominica Paschatis, processio et Missa transferuntur in Feriam III sequentem¹; secundo, si incidat in aliam Dominicam aut aliud festum, in quod etiam incidit festum Titularis aut Patroni, et unica tantum celebretur Missa, tunc dicitur Missa de Patrono cum Commemoratione Stationis sub unica clausula cum Oratione festi.

802. Hae Missae feriales celebrantur in colore violaceo, sine Commemoratione festi occurrentis (nisi unica dicatur Missa), cum tribus Orationibus in Missali assignatis, non exclusa imperata, sine *Gloria* et *Credo*, cum Praefatione Paschatis aut Octavae, si tempore Octavae, quae propriam habet Praefationem, etiamsi in Missa non commemoretur Octava², *Communicantes* et *Hanc igitur* ut infra Octavam; in fine Missae dicitur *Benedicamus Domino* sine *Alleluia*, etiam tempore paschali.

803. Quando commemoratur, ut num. praecedenti dictum est, festum occurrens, haec Commemoratio dicitur loco secundae Orationis³, et pro tertia sumitur una ex duabus.

804. In aliis Missis in festo S. Marci extra processionem, nulla fit Commemoratio Stationis; et ubi nulla fit processio, Statio commemoratur solummodo in Missa diei principali.

805. In tribus vero Feriis Rogationum, in omnibus Missis extra processionem et etiam sine processione,

¹ S. Rit. C. 25 Sept. 1627.

² S. Rit. C. 17 Sept. 1853, in una Veron. ad 5.

³ S. Rit. C. 23 Maii 1846, in una Iud.

fit Commemoratio Rogationum, et quidem Feria II, quae est Feria maior, ante Commemorationem simplicis; in aliis autem duabus Feriis, post Commemorationem simplicis aut Vigiliae. Si vero in his duabus ultimis Feriis coincidat festum I. cl., Commemoratio Missae Rogationum omittitur¹.

806. In Missis ferialibus Feriae IV et Sabbati Quatuor Temporum, exceptis illis de Pentecostes ac Feria IV post quartam Dominicam Quadragesimae et Hebdomadae maioris, post *Kyrie eleison*, Celebrans vadit ad cornu Epistolae, dicit *Oremus* et *Flectamus genua*, sub quibus ultimis verbis more solito genuflectit unico genu, et responso a Ministro *Levate*, surgit, et manibus seu brachiis extensis dicit Orationes.

807. In Missis Feriarum II, IV et VI per totam Quadragesimam, in fine Tractus recitatur *Ÿ. Adiuva nos, Deus salutaris noster*, sub quibus verbis, extensis super Altare manibus, genu dextero genuflectit.

808. In Missis ferialibus Quadragesimae, post conclusionem ultimae Orationis Postcommunio, Celebrans noviter manus aperit et iungit dicens *Oremus* more solito; dein manibus iunctis et capite inclinato versus librum², dicit: *Humiliate capita vestra Deo*. Postea caput erigit, manus extendit ac in tono consueto Orationem profert.

809. In Dominica Palmarum, Feria III et IV Hebdomadae maioris, Celebrans, dicto Tractu, absolute inchoat in cornu Evangelii, iunctis manibus: *Passio Domini nostri* etc., et neque librum neque seipsum signat; ad

¹ S. Rit. C. 16 Apr. 1853.

² S. Rit. C. 12 Dec. 1879.

verba *exspiravit* vel *emisit spiritum*, genuflectit utroque genu versus librum et parumper manet meditando Christi Domini passionem. Deinde surgit et Passionem continuat usque ad ultimam partem.

810. Tunc ad medium Altaris vadit, dicit more solito *Munda cor meum, Iube Domine benedicere* ac *Dominus sit* etc., ad Missale redit, et omisso signo Crucis super librum et frontem, lectionem ad finem ducit. Qua finita, librum ubi ultima pars incipit, osculatur dicens: *Per evangelica dicta* etc., respondente Ministro: *Laus tibi, Christe*.

§ II. — *De tribus Missis privatis in Nativitate Domini, et de binatione.*

811. Die Nativitatis Domini licet Sacerdoti tres Missas dicere, etiam in privato Oratorio, si ibi ex speciali privilegio Sedis Apostolicae celebrat¹.

812. Qui in hac die Nativitatis unam tantum Missam celebrat, dicat illam, quae est horae celebrationis congruens². Hoc idem Celebrans faciat, dum duas solas celebrat.

813. Si immediate duas aut tres Missas Sacerdos celebraturus sit, adsint in Altari hostiae in capsula, vasculum vacuum (cum suo operculo vel palla ad ipsum cooperiendum) ad abluendos digitos post Communionem. Haec omnia ponantur in cornu Epistolae prope Corporale.

814. Si Sacerdos die Nativitatis Domini omnes tres Missas celebret, quin de Altari discedat, in prima et

¹ S. C. Concil. 13 Ianuar. 1725.

² S. Rit. C. 19 Iunii 1875, in una Ord. Carthus.

secunda Missa pretiosissimum Sanguinem diligenter haurit, ita ut neque circa labia, neque in fundo Calicis quid remaneat; deinde Calicem, quin illum purificet aut extergat, super Corporale in medio Altaris ponit, et Patena, altera hostia imposita, palla et velo, non vero purificatorio, de more cooperit.

815. Si vero non immediate duas aut tres Missas dicit, Calicem non purificatum neque extersum post Missam maxima diligentia in Sacristiam portat et in loco decenti tuto super Corporale seu pallam collocat; ibique Calix usque ad sequentem Missam permanet. Si talis locus desit, in Tabernaculo reponatur.

816. Sumpto SSmo Sanguine, dum Calicem cooperit, ut dictum est, dicit: *Quod ore sumpsimus*, deinde digitos in vasculo vitreo postea palla cooperiendo abluit vino et aqua, et purificatorio abstergit, interim dicens: *Corpus tuum, Domine*, etc.¹; sed os non abstergit, nisi post ultimam Missam, in qua post Sanguinis sumptionem et purificationem, etiam digitorum abluitionem Missarum antecedentium immittit in Calicem et assumit.

817. Ad Offertorium in secunda et tertia Missa, ante infusionem vini et aquae non extergitur Calix, neque ponitur super Altare extra Corporale, sed manu sinistra aliquantulum elevatus tenetur a Celebrante aut super pallam collocatur, et postea statim super Corporale ponitur.

818. Guttulae vini vel aquae cuppae forte inhaerentes non exterguntur purificatorio, sed circumagendo Calicem cum vino uniuntur.

¹ S. Rit. C. 11 Martii 1858.

819. SS̄mus Sanguis in omnibus Missis ex eadem parte Calicis sumitur. Calici non purificato neque in Altari ¹, neque in Sacristia genuflexionibus aut luminibus cultus exhibetur eucharisticus; et vertendo se Celebrans ad *Dominus vobiscum* et ad dandam benedictionem, debet renes vertere ad Altare, licet species vini non sint desiccatae in Calice ².

820. Ultima pars Missae more solito peragitur.

821. Celebrans, sive in die Nativitatis Domini, sive aliquo alio die Sacrificium Missae iterans, eodem Calice utatur ³.

822. Nonnullis in regionibus, praeterquam in die Nativitatis Domini, per speciale Indultum Apostolicum tres Missas celebrare licet etiam in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, qua die ea observentur, quae supra dicta sunt. Aliis autem diebus anni, Missam iterare aut binare Sacerdoti solummodo licet iustis ex causis et cum expressa licentia Ordinarii, respect. S. Sedis.

823. Nunquam datur ab Ordinario licentia binandi generalis, sed specialis seu in casu particulari ab ipso Episcopo examinando. Sacerdos ex se, ne quidem ex iustissima causa, Missam iterare licite potest.

824. Facultas binandi valet tantum pro diebus festis de praecepto ⁴, et cessat ipso facto cum adventu alterius Sacerdotis celebrantis.

825. Non licet binare pro una sola familia aut pro paucis personis, neque in eodem loco, oppido, vico,

¹ S. Rit. C. 12 Iulii 1686.

² S. Rit. C. 20 Iulii 1686.

³ S. Rit. C. 10 Iulii 1815: et 16 Septemb. 1815.

⁴ S. Rit. C. 11 Sept. 1841.

et multo minus in eadem Ecclesia, sine speciali Indulto Sedis Apostolicae ¹.

826. Quae supra dicta sunt de usu et modo tractandi Calicem, de sumptione SS. Sanguinis, ablutione digitorum, etc. servanda sunt etiam in binatione. Observandum tamen, quod Celebrans Calicem maxima diligentia et religiositate ob speciei Sanguinis forsitan praesentiam ad alium locum portet, quin cuppam apertam ad ima vertat.

827. Ablutionem digitorum ex prima Missa, si comode fieri possit, secum portat in alium locum; si non, pro Missa diei sequentis asservare potest, aut in Sacrarii piscinam mittit.

828. Si ob nimiam distantiam locorum aut alia gravia incommoda eundem Calicem Celebrans secum portare nequeat, aut saltem non nisi purificatum, tunc servatis in prima Missa quae dicta sunt, post ultimum Evangelium in medio Altaris stans Calicem discooperit, guttam SS. Sanguinis, quae forsitan supersit, sorbet ex ea parte, qua SS. Sanguinem sumpsit, deinde aquam Calici infundit in ea quantitate, qua vinum ante Missam infuderit, Calicem diligenter circumagit, et aquam hanc in illud vas, quod digitorum ablutionem continet, mittit. Postea Calicem extergit purificatorio, et aut ipsum in alium locum secum portat, aut in Sacristia relinquit, et in alio loco alio Calice pro Missa utatur ².

829. Sacerdos, qui complevit Sacrificium ab altero Sacerdote incoeptum (vide num. 414), nullo modo potest

¹ S. Rit. C. 22 Maii 1841.

² S. Rit. C. 11 Martii 1858.

iterum celebrare Missam, quamvis a sumptione ablu-
tionis abstinuerit ¹.

830. Sacerdos binans, non habens aliquam obligatio-
nem strictae iustitiae, ut v. gr. Parochus qui diebus festis
pro populo applicare debet, pro una sola Missa elee-
mosynam accipere potest ². Potest tamen aliquam re-
munerationem accipere pro labore extraordinario ³.

§ III. — *De Missa privata coram SSmo Sacramento
exposito.*

831. In Altari ubi expositum est SSmum Sacramentum,
non licet alias Missas celebrare praeter solemnem pro re-
positione ⁴, stante praesertim quod adsint alia Altaria, in
quibus celebrari possint ⁵; nisi urgeat ibi celebrandi ne-
cessitas, vel saltem adsit rationabilis causa, aut consue-
tudo immemorabilis, quae sine offensione populi rescindi
nequit, modo SS. Eucharistia in Missa non distribuatur ⁶.

832. Si tamen Missa privata in hoc Altari celebratur
iustis ex causis, praeter ea, quae in omni Missa pri-
vata servantur, sequentia servanda veniunt.

833. Missa et color paramentorum sint Officio diei
conformes, nisi forte dies admittat Missam votivam,
et tunc dici potest Missa de SS. Sacramento. Crux in
Altari non ponatur, nisi aliter consulat regionis vel
Dioecesis consuetudo ⁷.

¹ S. Rit. C. 16 Decemb. 1823.

² S. C. Concil. 25 Septemb. 1858.

³ S. Rit. C. 14 Iunii 1845.

⁴ S. Rit. C. 13 Iunii 1671, in Angelop. ad 6.

⁵ S. Rit. C. 9 Aug. 1670.

⁶ Ex variis Decretis.

⁷ S. Rit. C. 2 Septemb. 1741.

834. De Collectis in Missa coram SSmo Sacramento
sumendis, vide num. 526 et seq.

835. Celebrans non ante Altare, ut de more, caput
discooperit, sed statim ac Ecclesiam seu Capellam, in
qua expositum est SS. Sacramentum, ingreditur.

836. Cum ad Altare pervenerit, utroque genu in plano
ante anteriores gradus genuflectit cum profunda capitis
inclinatione, surgit, Altare ascendit, Calicem aliquantu-
lum ad partem Evangelii collocat, iterum genuflectit
unico genu, sine capitis inclinatione, quod semper ser-
vabit, quodcumque infra Missam genuflectere debeat;
deinde Calicem more solito in medio super Corporale
extensum ponit, genuflectit, ad cornu Epistolae vadit,
librum aperit, in medium Altaris revertitur, genuflectit,
et vertens aliquantulum humeros ad cornu Evangelii,
ne eos SS. Sacramento vertat, quod est observandum
quoties ad populum se convertit, de Altari descendit,
super infimum gradum genuflectit et Missam incipit.

837. Post Confessionem in plano non genuflectit, sed
Altare ascendit, in medio genuflectit, illud de more
osculatur, iterum genuflectit, ad cornu Epistolae vadit,
Introitum dicit, ac rediens in medium, priusquam *Kyrie
eleison* incipiat, iterum genuflectit; quo dicto, si non
sit dicendum *Gloria*, Altare osculatur, genuflectit, ad
populum se vertit et dicit *Dominus vobiscum*: si vero
dicitur *Gloria*, haec omnia postea peragat; dein ad Al-
tare conversus iterum genuflectit, ad cornu Epistolae
vadit et Orationes dicit ac Epistolam legit.

838. Dicto Graduali, in medium Altaris venit, genu-
flectit, dicit *Munda cor meum*, iterum genuflectit, et
vadit in cornu Evangelii ad legendum Evangelium.

839. Modus eundi et redeundi in medium aut ad latus Altaris sub num. 707 et 713 indicatus, observatur quoties eundum aut redeundum est; ita tamen, ut si e medio, Celebrans primum osculatur Altare vel aliam praescriptam actionem praemittit, et postea genuflectit: si vero ab alterutro latere in medium redit, primum genuflectit et postea osculatur Altare vel aliam praescriptam actionem facit.

840. Capitis inclinationes, quae ordinario versus Crucem fiunt, in hac Missa SS^mo Sacramento exhibentur.

841. Ad lotionem manuum, postquam genuflexerit, in cornu Epistolae per gradus laterales descendit in secundum gradum lateralem vel in planum iuxta consuetudinem¹, et tergo non SS^mo Sacramento, sed dextrorsum cornu Epistolae dato, manus lavat, gradus in eodem loco ascendit, more et loco solito Psalmum terminat, in medium Altaris redit, genuflectit, Orationem *Suscipe S. Trinitas* dicit, qua dicta Altare osculatur, genuflectit, dextrorsum ad Altare versus populum *Orate fratres* dicit, et per eandem viam ad Altare se convertit, iterumque genuflectit.

842. Celebrans postquam digitos abluerit et absterserit, dum recitat Psalmum *Lavabo*, aliquantulum ad SS. Sacramentum se vertat.

843. Ad *Sanctus* et Elevationem non datur signum tintinnabulo², quod etiam in Missis, quae tempore expositionis in aliis Altaribus dicuntur, observatur³. Sumpta purificatione remanet in medio Altari ibique stans versus

¹ S. Rit. C. 12 Nov. 1831, in una Marsorum ad 52.

² Merat. in Gavant., p. 2, t. 14, n. 21.

³ S. Rit. C. 31 Aug. 1867.

SS. Sacramentum digitos abluit¹, quibus abstersis abluitionem haurit Calicemque de more componit.

844. Post *Placeat tibi* etc. Altare osculatur, more solito dicit *Benedicat vos omnipotens Deus*, quin tamen caput inclinet, dein genuflectit, ad populum se vertit ut dictum est num. 836, benedictionem impertit, per eandem viam et non per gyrum ad Altare se convertit, sine genuflexione ad cornu Evangelii vadit et ultimum Evangelium dicit aut legit, signans librum aut tabelam, ac se ipsum signo Crucis, non autem Altare.

845. Ad *Et Verbum caro factum est*, se vertit aliquantulum versus SS^mum Sacramentum, quod semper observetur, si in cornu Altaris genuflectendum est².

846. Dicto Evangelio, in medium vadit, genuflectit, Calicem apprehendit, sine nova genuflexione descendit in planum, ibique usque ad terram (in plano) utroque genu genuflectit, caput profunde inclinat, surgit et in Sacristiam redit, caput non operiens priusquam extra conspectum SS^mi Sacramenti fuerit.

847. SS^mum Sacramentum sive in Pyxide, sive in Ostensorio expositum sit, in utroque casu eadem caeremoniae servandae sunt.

§ IV. — De Missa privata coram Praelatis.

848. In Missa coram Praelatis, quo nomine hic intelliguntur Cardinales ubique terrarum, Nuntii et Legati Sedis Apostolicae in suis Legationibus, Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi in suis respectivis Districtibus,

¹ Baseldus, p. 4, c. 9, a. 11, n. 12.

² S. Rit. C. 7 Maii 1746, ad 9: et 22 Decemb. 1753.